

Not. hæc omnia intelligenda esse de illis, in quibus Episcopus procedit jure ordinario; nam in illis, in quibus agit ut delegatus Sedis Apostolicæ, vel jure extraordinario, v. g. devolutivo, nullam cum capitulo habet communionem, ejusque consensu aut consilio non indiget (1).

§ 7. Quando consensus capituli exquirendus est.

I. Episcopus generaliter non nisi in casibus in jure expressis tenetur consensum capituli petere et expectare (2).

1° Consensus capituli generatim requiritur in omnibus casibus et negotiis, in quibus notabilis aliqua obligatio ecclesiæ imponitur, aut in quibus vertitur ecclesiæ vel capituli interesse sive præjudicium (3).

2° « In ecclesiis cathedralibus et collegiatis insignibus, ubi frequentes adeoque tenues sunt præbendæ simul cum distributionibus quotidianis, ut sustinendo decenti canonicorum gradui pro loci et personarum qualitate non sufficiant; liceat Episcopis cum consensu capituli, vel aliquot simplicia beneficia, non tamen regularia, iis unire; vel, si hac ratione provideri non possit, aliquibus ex iis suppressis, cum patronorum consensu, si de jure patronatus laicorum sint, quarum fructus et proventus, reliquarum præbendarum distributionibus quotidianis applicentur, eas ad pauciores numerum reducere » (4).

3° Jus consensum capituli expresse exigit in alienatione rerum ad ecclesiam cathedralem vel capitulum pertinentium, dummodo sint immobiles vel mobiles pretiosæ (5). Cum autem ad alienatio-

(1) Barbosa de canonicis cap. 42, n. 14; Andreucci n. 213; Pichler lib. III Decretal. tit. X, n. 3; Acta S. Sedis vol. XIII, fol. 305.

(2) Scarfantonus lib. IV, tit. XII, animadv. 2.

(3) Reiffenstuel lib. III Decretal. tit. X, n. 12, 15 et 16; Scarfantonus lib. 4, tit. XII, animadv. 3 et 16; Pichler lib. III Decretal. tit. X, n. 3.

(4) Conc. Trid. sess. 24, cap. XV de reform. Zamboni tom. 4, *Canonicatus* § XIII; Barbosa de canonicis cap. 42, n. 14; Reiffenstuel lib. III Decretal. tit. X, n. 19; Bouix de capitulis p. 4, cap. 3, § V.

(5) Causa XII, q. II, can. 52 *Sine exceptione*; lib. III Decretal. tit. X, can. I, *Irrita*; tit. XIII; Sexti Decretal. lib. III, tit. IX, can. II *Hoc consultissimo*, etc. Reiffenstuel lib. III Decretal. tit. X, n. 14; Barbosa de canonicis cap. 42, n. 7; Pirhinc. lib. III Decretal. tit. X, § 1; Andreucci de tuenda pace n. 192-194; Bouix de capitulis p. 4, cap. III, § 2.

nem honorum ecclesiasticorum requiratur beneplacitum Apostolicum juxta Extravagantes communes lib. III, tit. IV *Ambitiosæ*; ita ut alienantes et recipere præsumentes bona ecclesiastica absque beneplacito Apostolico ad formam hujus Extravagantis *Ambitiosæ*, excommunicationem non reservatam latæ sententiæ incurrant ex Constitutione SS. D. Pii IX *Apostolicæ Sedis* 1869: inde dubitatur, an beneplacitum Apostolicum non suppleat consensum capituli, vel an præterea capituli requiratur consensus: juxta Sexti Decretales lib. III, tit. IX, can. II *Hoc consultissimo* capituli consensus et Apostolicæ Sedis licentia simul requiruntur (1), licet plures tamen putent, consensum Papæ eximere a necessitate obtinendi consensum capituli, quando iste requiritur tanquam solemnitas, non vero si requiratur tanquam consensus partis, cujus interest (2). Ad alienationem tamen rerum parvi valoris nec Papæ nec capituli consensus necessarius est (3). Sacra Congregatio Episc. 22 Mart. 1611 censuit pretium parvi valoris intelligendum esse de valore viginti quinque scutorum auri (4), id est circiter 188 francorum; certa autem atque indubitata hodie regula est, ut consuetudini cujusque diocesis legitime præscriptæ standum sit (5).

4° Requiritur capituli consensus in unione unius ecclesiæ alteri ecclesiæ seu dignitati vel præbendæ per Episcopum faciendæ, aut si ecclesia parochialis monasterio donetur (6).

5° In administratione honorum et reddituum ecclesiæ; si enim hæc omnia sint communia inter Prælatum et capitulum, ad eos simul administratio spectare debet (7).

(1) De Angelis, Prælect. jur. can. lib. III, tit. XIII, n. III.

(2) Cardinalis Petra, Comment. in Constit. S. Leonis s. 3, n. 3 et seq. tom. 1; Bouix loco cit. n. 12; Craisson Manuale jur. Can. n. 2405.

(3) Andreucci n. 192.

(4) Cardinalis Petra in Decretal. *Ambitiosæ*, sect. 2, n. 59; Bouix loco cit. n. 13; Craisson, n. 2406.

(5) S. C. C. 21 Jul. 1827, *Forosemprontien*, Lucidi de Visit. SS. Lim. vol. 2, fol. 504, n. 276.

(6) Causa XII, quæst. II, can. 73, *Si Episcopus*; lib. III Decretal. tit. X, can. VIII, *Tua nuper*; Clement. lib. III, tit. IV, can. II *Si una*; Barbosa de canonicis c. 42, n. 8; Pirhinc. lib. III Decretal. tit. X, n. 8-10; Lucius Ferraris *capitulum* art. 2, n. 4; Bouix loco cit. § III.

(7) Lib. III Decretal. tit. X, can. IV, *Novit*, et V *Quanto*; Barbosa loco cit. n. 3; Lucius Ferraris loco cit. n. 2; Bouix p. 4, cap. IV, § 2, prop. 7 et 8.



6° In erectione novae parochiae intra fines alterius parochiae (1).

7° In augendo numero canonicorum et in erectione novi canonicatus aut dignitatis, ut dictum est cap. III, § 1, n. III, et § 2, n. I et II, atque in creatione canonicorum honorariorum, ut dictum est, cap. XI, § 2, n. IV.

8° In collatione beneficiorum, si illa communiter spectet ad Episcopum et capitulum ipsius (2).

9° In erigenda confraternitate in ecclesia cathedrali (3).

10° In surrogandis examinadoribus extra Synodum. Deficientibus examinadoribus synodalibus, Sacra Congregatio Concilii in indulto, quo Episcopis conceditur facultas, alios examinadores prosynodales substituendi, consensum capituli exigere solet in eligendis hujusmodi examinadoribus (4).

11° In inquirendis, corrigendis et puniendis excessibus clericorum, uti § præc. ad 7 dictum est.

12° Generaliter in omnibus casibus, in quibus alicubi viget recepta atque legitime præscripta consuetudo, ut tale vel tale negotium non fiat sine consensu capituli: nam consuetudo est optima legum interpres, et habet vim legis, si legitime præscripta fuerit (5).

II. Non requiri videtur consensus capituli ad repudiandum legatum factum ecclesiae, quia repudiando legatum rei, quæ nunc est Ecclesiae, vera et propria alienatio non intervenit (6).

2° Neque requiritur in iis, in quibus Episcopus agit jure devolutionis, neque in quibus procedit ut delegatus Sedis Apostolicæ, quia in illis nullam cum capitulo habet communionem, ejusque igitur non indiget consensu neque consilio (7).

(1) Vid. lib. III Decretal tit. 48, can. III, *Ad audientiam*; Conc. Trid. sess. 21, cap. IV de reform. Fagnanus in II p. III Decretal. *de ecclesiis ædificandis, Ad audientiam* n. 49; *Analecta jur. Pont.* 1855, sér. I, fol. 417; Bouix p. 4, cap. III, § III; Craisson n. 350, 351 et 2407.

(2) Lib. III Decretal tit. X, can. VI *Ex noscitur*. Reiffenstuel ibidem n. 17 et 18; Pirhinc ibidem n. VI et VII.

(3) S. R. C. 19 Sept. 1710, *Awen* ad 66; Scarfantonus lib. IV, tit. XII, animadv. 5; Andreucci n. 204.

(4) Bouix loco cit. § VII; Andreucci n. 198; Zamboni tom. 4, *examinadores* § II; Bened. XIV de Syn. lib. IV, cap. VII, n. X.

(5) Reiffenstuel lib. III Decretal. tit. X, n. 25.

(6) Reiffenstuel loco cit. § II.

(7) Reiffenstuel loco cit. n. 13; Bouix loco cit. § I.

3° Neque in condendis statutis synodalibus, in quibus consilium capituli quidem requiritur, ut dictum est § præc. ad 6, non autem consensus (1).

4° Neque per se requiritur in negotiis minoribus, quæ Episcopus communiter sine consilio, vel saltem sine consensu capituli peragere potest (2).

III. Casu occurrente, in quo capitulum consensum suum dare recusat, Episcopus procedere non potest. Si tamen capitulum consensum irrationabiliter neget, juxta aliquos auctores compelli potest, ad consensum præstandum (3); et quoad examinadores prosynodales hæc scribit Benedictus XIV (4): " Quod si capitulum  
" illos, quamvis ceteroquin idoneos, approbare recusaverit, existimant Pignatellus *cons.* 119, *tom.* 1, et P. Andreucci S. J.  
" in suo tractatu *de tuenda pace et concordia inter Episcopum et capitulum part.* 4, *cap.* 1, § 1, *num.* 198, habendos nihilo-  
" minus esse pro approbatis: semel enim posito, quod propositi  
" ab Episcopo tales sint, quales Tridentinum exigit, capitulum  
" tenetur ex justitia illos approbare, et consensus ex justitia præ-  
" standus, cum injuste denegatur, habetur pro præstito, sicut docent  
" *Surdus decis.* 220, *num.* 54, *Mantic. decis.* 226, *tract.* 9,  
" *Valenz. consil.* 113, *num.* 27. Sed, quidquid sit de veritate  
" hujus opinionis, certum est, quod, qui illam in praxi sectatur,  
" obnoxium se facit innumeris litibus et controversiis: cum enim  
" hominum doctrina et mores evidentes non sint, nec unquam  
" obtrectantium linguas evadant, semper excitabitur quæstio, an  
" capitulum juste vel injuste consentire recusaverit in examina-  
" tores ab Episcopo propositos; et durante hac quæstione, firmi  
" non erunt concursus ad ecclesias parochiales, coram illis insti-  
" tuti. Tutius propterea erit, ut in eo eventu Episcopus a Sacra  
" Congregatione Concilii petat supplementum consensus, quem  
" capitulum sine causa denegavit. "

(1) Scarfantonus lib. IV, tit. III, animadv. 14 et 15.

(2) Reiffenstuel loco cit. n. 7; Pichler in lib. III Decretal. tit. X, n. 3; Bouix loco cit. § 1.

(3) Barbosa de canonicis cap. 42, n. 13.

(4) De Syn. lib. IV, cap. VII, n. X.



§ 8. *De consuetudine aliisque rationibus, quæ afferuntur ad Episcopum liberandum ab obligatione petendi consilium et consensum capituli.*

I. *Difficultas administrationis.* Verum est, faciliorem esse administrationem, qua omnia pro libito et proprio ingenio peraguntur; at non minus verum est, talem administrationem plurimis expositam esse erroribus, ad quos præcavendos Ecclesia provide præscribit, consilium ab Episcopo adhibendum esse, et quandoque etiam habendum consensum. Difficultas autem si existat, magis imaginaria, quam realis dicenda est: consilium enim petendo, difficultas vix dari potest, cum Episcopus consilium capituli sequi non teneatur, et semper liber maneat, ad faciendum quod ei in Domino placuerit; consensum etiam petendo, tanta difficultas obvenire nequit, tum quia casus consensum petendi raro occurrit, tum quia, quidquid fuerit, si res ab utraque parte peragatur, sicut oportet, difficultatem communiter non excitabit, sed contra animos vinculo charitatis conjunget, mutuamque æstimationem, venerationem, ac etiam amorem producet.

II. Alia ratio invenitur in concordato 1801 et subsequente nova diocesium circumscriptione in Gallia, Belgio aliisque regionibus, ad quas idem concordatum et circumscriptio pertinent, in quibus omnia Episcoporum arbitrio relinqui videntur, divinorum officiorum celebratio chorique obligatio præscribuntur, consilium autem Episcopo præstandum vix indicatur. Ad hæc notandum est, omnia capitula illo tempore suppressa et extincta fuisse per Bullam *Qui Christi Domini* 1801. Inde ratio habetur, quare omnia Episcoporum arbitrio relinqui videantur, cum capitula non existerent, et per Episcopos primo futuros tantum erigenda essent. Divinorum officiorum celebratio in his documentis expresse præscribitur, quia hæc tempore revolutionis et perturbationis Gallicanæ intermissa, et non restituta fuerat, omnibus præbendis et bonis ecclesiasticis spoliatis et divenditis. Hanc igitur præscribendi specialis erat ratio, qualis non dabatur, quatenus capitula Episcoporum forent consilia. Hæc tamen capitulorum qualitas, etsi in dictis documentis expresse non præscribatur, quatenus non oportebat, satis tamen indicata et etiam expressa reperitur. Ita in Bulla confirmationis conventionis decimo octavo calendis septembris 1801 *Ecclesia Christi* habetur: *Cum vero tum Clericorum institu-*

*tioni, tum Episcoporum consilio, suæque Ecclesie administrationi consulere necesse sit, illud non omisimus, ut iidem Episcopi unum habeant in cathedrali capitulum.* In Bulla novæ circumscriptionis diocesium *Qui Christi Domini* tertio calendis decembris 1801, præscribitur Cardinali Legato, ut *decernat... dignitates et canonicos cujuscumque capituli juxta præscriptum sacrorum conciliorum.* In decreto Cardinalis a Latere, quo Bulla novæ circumscriptionis diocesium Galliae publicatur *Cum Sanctissimus Dominus* 9 Ap. 1802 legitur: *Ut in Metropolitanis et Cathedralibus ecclesiis in iis, quæ ad capitula erigenda spectant, ecclesiastica disciplina servetur, Archiepiscopis et Episcopis primo futuris curæ erit, ut quæ pertinent ad eorundem capitulorum sic erigendorum prosperum et felicem statum, regimen, gubernium, directionem, divinorum officiorum celebrationem, cæremonias ac ritus in iisdem ecclesiis, earumque choro servandos, ac alia quælibet per eorundem capitulorum dignitates et canonicos obeunda munia, pro eorundem Archiepiscoporum et Episcoporum arbitrio et prudentia definiantur et constituentur, relicta tamen eorum successoribus statutorum illorum immutandorum facultate, requisito prius capitulorum respectivorum consilio, si, attentis temporum circumstantiis, id utile et opportune judicaverint: in ipsis tamen statutis vel condendis, vel immutandis religiosa sacrorum Canonum observantia retineatur, usuumque, ac consuetudinum laudabilium antea vigentium, præsentibusque circumstantiis accommodatarum ratio habeatur.* Cardinalis Legatus in decreto, quo Sedes Archiepiscopalis Mechliniæ erigitur 10 Ap. 1802, primo futuro Archiepiscopo de Apostolica auctoritate committit, facultatemque concedit, *ut posteaquam canonice institutus, ejusdem ecclesie regimen actu consecutus erit, eum dignitatum et canonicatum numerum, quem ad ejusdem necessitatem, utilitatem, atque decorem magis expedire judicabit, ad Tridentini Concilii præscriptum, præficiat, pro totidem ecclesiasticis viris, ... qui illius capitulum constituent... horas canonicas tam diurnas quam nocturnas cæteraque divina officia, servata ecclesie disciplina... recitare, decantare et psallere, eidem ecclesie laudabiliter deservire debeant et teneantur, Archiepiscopo in pontificalibus peragendis, juxta receptas consuetudines ministrent et inservant, eundemque in diocesis, prout in jure constitutum est,*



*adjuvent administratione.* Unde primus Archiepiscopus Mechliniensis in decreto erectionis capituli 21 julii 1803 sic loquitur : *Nos Sanctae Sedis in nos benevolentia et facultatibus delegatis, quam primum licuit, uti volentes, capitulum in ecclesia nostra Metropolitana erigere decrevimus cujus finis principalis sit divini cultus splendor, nostrum in administratione vastae hujus diocesis levamen et consilium.* Quapropter fundatum aliquod argumentum ex his documentis desumi nequit, ad probandum, hodierna capitula, quae existunt in locis ad quae concordatum 1801 dirigitur, teneri ad celebranda officia divina, illa autem Episcoporum consilium non constituere.

3° Consuetudini hac in re multum deferendum est, ut notat Benedictus XIV (1).

Observat autem Reiffenstuel (2) talem consuetudinem ex textu cap. *Non est* in 6 (3) canonicè praescriptam esse debere, eamque asserenti talem esse, incumbere probationem (4).

Aliqui insuper dicunt, hanc consuetudinem non petendi consilium contrariam esse honestati ex cap. *Novit* (5), in quo decernitur : *Novit tuae discretionis prudentia, qualiter tu et fratres tui unum corpus sitis, ita quod tu caput, et illi membra esse probantur. Unde non decet te omissis membris, aliorum consiliis in ecclesiae tuae negotiis uti : cum id non sit, dubium et honestati tuae et sanctorum Patrum institutionibus contraire.* Consuetudo autem contraria honestati, veluti repugnans bonis moribus, non valet. Censet autem Pirhinc cum Abbate (6) non valere forte consuetudinem, ut Praelatus in negotiis tractandis requirat consilium aliorum, praetermissis canonicis; valere tamen consuetudinem, ut solus Praelatus, ea tractet : vel talem consuetudinem esse contra honestatem, et consequenter non valere, si quid fiat sine justa et rationabili causa; alioquin vero id non repugnare honestati vel rationi, si ex justa causa fiat. Praeterea observat Reiffenstuel (7) in cap. *Novit* nullam fieri mentionem consuetudinis, et solum taxari factum Patriarchae Hierosolymitani, ad quem haec Decretalis

(1) De Syn. lib. XIII, cap. I, n. VIII.

(2) Lib. III Decretal. tit. X, n. 27.

(3) Lib. I, tit. IV, de consuetudine can. III.

(4) Vid. Andreucci n. 212.

(5) Lib. III Decretal. tit. X, can. IV.

(6) Lib. III Decretal. tit. X, n. XV.

(7) Lib. III Decretal. tit. X, n. 28.

dirigitur; ac proinde mirum non esse, quod Papa censuerit, illud fuisse contra honestatem, cum dubium non sit, quin contraire Sanctorum Patrum constitutionibus, quibus consuetudo necdum praescripta nequiquam derogavit, sit contra honestatem. Denique Pichler (1) distinguit inter honestatem ortam ex jure naturali et divino, ac ex sacris canonibus; negat autem consuetudinem non petendi consilium, esse contra jus naturale et divinum, quia non omne quod praecipitur, quod decet et expedit, statim est sub praeccepto juris naturalis et divini : et dicit, quod si illa tantum contraria sit honestati, quam praecipunt sacri Canones, huic praevallere possit consuetudo legitime praescripta.

Tandem nonnulli censent, consuetudinem, nunquam postulandi consilium aut consensum, admittendam non esse, quia consuetudines, quae in grave ecclesiae detrimentum vergunt, admitti nequeunt juxta can. 1. *De consuetudine* (2) : atqui si Praelati sine consensu vel consilio capituli omnia liberrime soli gerere possent, moraliter certum foret, multa hinc damna ecclesiis eventura esse (3). Praeterea tali consuetudine fraudaretur Ecclesia scopo ab ipsa principaliter intento in capitulorum institutione. Siquidem ideo vult capitula existere, ut sint consilium Episcopi et ecclesiae senatus, et sic provideatur consilio Episcoporum. Porro si capitularium consilium in nullis adhibet Episcopus, inutile redditur capitulum ad principalem hujusmodi finem. Ergo non potest Sedis Apostolicae legitime praesumi consensus in praedictam consuetudinem. Haec igitur consuetudo, utpote consensu etiam tacito legislatoris destituta, nunquam poterit legitime praescribere. Aliunde non in parvum cederet rei catholicae detrimentum dicta consuetudo, cum aequivaleat suppressioni capituli quoad praecipuum et essentialem ipsius finem (4).

Attamen, ut asserit Benedictus XIV (5) locorum consuetudine induci potest, ut Episcopus solutus sit ab obligatione, qua caeteroquin, spectato jure communi, teneretur, requirendi sui capituli consensum aut etiam consilium; quod aperte colligitur ex cap. *Ea noscitur*, de his quae fiunt a Praelat. et ex cap. *Non est de*

(1) Lib. III Decretal. tit. X, n. 6.

(2) Lib. I Decretal. tit. IV, c. 1.

(3) Bockhn. lib. III Decretal. tit. X, n. 13.

(4) Ita Bouix de capitulis, supplementum III.

(5) De Synodo loco cit.



*consuetudine in 6*, docentque auctores (1). Plures etiam asserunt, consuetudine vel præscriptione passim introductum esse, ut Episcopi in plerisque casibus sine consilio vel consensu capituli procedere valeant (2). Quinimo Lambertinus (3) censet hodie dici posse, titulum juris *De his quæ fiunt a Prælati sine consensu capituli*, recessisse ab aula, cum Episcopi fere omnia expediant sine consensu capituli (4). Hoc autem putat Pichler (5) non ita universaliter verum esse.

## CAPUT XVI.

## DE VARIO RESPECTU EPISCOPUM INTER ET CAPITULUM.

§ 1. *De Episcopo erga capitulum.*

Episcopus jus habet in capitulum, et capitulum obligatur erga Episcopum. Maxime etiam interest, hoc jus hancque obligationem bene cognoscere et discernere, ne indebita exigantur, aut debita recusentur.

I. « Episcopis ubique is honor tribuatur, qui eorum dignitati » par est; iisque in choro, et in capitulo, in processionibus et » aliis actibus publicis sit prima sedes, et locus, quem ipsi elegerint, et præcipua omnium rerum agendarum auctoritas. » Ita statuit Concilium Tridentinum sess. 25, cap. VI de reformat. quoad capitula exempta. Si autem in illis is honor Episcopis tribuendus sit, non minor in capitulis non exemptis et ubique per totam diocesim tribuendus erit.

Episcopus jus habet, ut canonici eum associent, eique assistant,

(1) Stephanus Gratianus *discept. forens cap. 100, num. ult. Zerola in præx. Episc. part. 1, verb. capitulum num. 8*; Barbosa *de canonicis cap. 42, num. 19*; Formosinus *de potest. capituli sede vac. tract. 2, quæst. 1, num. 4*; Item Andreucci n. 211 et 212; Schmitz *lib. I Decretal. tit. IV, q. III, R. 3*; Pirhinc *lib. III Decretal. tit. X, n. XV*; Lucius Ferraris, *Capitulum art. 2, n. 28*; De Angelis, *Prælect. jur. can. lib. III, tit. X.*

(2) Engel *lib. III Decretal. tit. X, n. 5*; Reiffenstuel *lib. III Decretal. tit. X, n. 27*, aliique ab his citati.

(3) De jure patronatus p. III, lib. II, q. 1, art. IV.

(4) Reiffenstuel loco cit. Giraldis *expositio juris Pont. sect. 432.*

(5) Loco cit.

ut dictum est cap. XIII; ut duo canonici ei inserviant, ut deputentur pro administratione seminarii et pro casibus a Concilio Tridentino requisitis, ut dictum est cap. XIV, utque ei auxilium et consilium præstent, sicut explicatum est cap. XV.

II. Episcopus canonicos suos honorare debet. Canonici, ut scribit Molanus (1) ab Episcopo honorandi sunt ut membra episcopatus. Quod nemo mirabitur, canonicos dici membra episcopatus, qui meminerit canonicos ex primæva sua institutione esse opitulares et cooperatores Episcopalis sollicitudinis. Unde a Patribus Concilii Tridentini monentur ea morum integritate pollere, ut merito Ecclesiæ senatus dici possint.

III. An et quomodo Episcopus jus habeat capitulum convocandi eique assistendi, dicitur, cap. XXXII, § 4 et 12.

Canonicos pœnis et censuris cogere potest, ad sibi exhibendum libros, in quibus annotantur resolutiones, vel saltem copiam earumdem resolutionum seu actorum capitularium, uti pluries responsum fuit per S. Congregationem Episcoporum et regularium (2).

IV. Episcopus est caput capituli, ut dictum est cap. VI, § 1, et superior canonicorum, sicut et cleri totius diœcesis, adeoque capitulo et canonicis legitime præcipere et mandare potest. Forum competens capituli est tribunal Episcopi. Si capitulum sit exemptum et Sedi Apostolicæ immediate subjectum, servanda est forma iudicii a Concilio Tridentino sess. 25, cap. VI de reformat. præscripta; si autem capitulum exemptum non sit, ea forma adhibenda est, quæ instituitur juxta sacros canones cum quolibet clerico, Episcopo immediate subjecto (3).

V. Episcopus capitulo et canonicis præcipere et mandare potest ea omnia, quæ ratione status clericalis, officii et beneficii præstanda sunt juxta sacros canones, conciliorum sanctiones vel sacrarum Congregationum declarationes, minime etiam obstante juramento ab Episcopo præstito de observandis juribus, consuetudinibus, privilegiis atque libertatibus ecclesiæ suæ (4) : ulterius autem quidquam mandare non potest.

(1) De canonicis lib. 2, c. 2.

(2) Barbosa *de canonicis cap. 35, n. 6*; decision. Rot. XXV, n. 1 in 1 p. Scarfanti; Bouix *de capitulis p. 3, cap. 1, § 5*; Craisson n. 2300.

(3) Andreucci n. 60 et 61; Bouix loco cit. § VI. Vid. cap. XV, § 6 ad 7.

(4) S. C. C. 3 Nov. 1623, apud Muhlbauer *Decreta Auth. Visitatio, n. 11.*